



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Liber De Prvdentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús Maria>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. VI. Conqueritur de ingratitude hominum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

## CAP. VI:

*Conqueritur de ingratitude ho-  
minum.*

**I**ustas querimoniarum causas habeo  
aduersum vos, filij hominum graues  
corde, qui pretium magnum infinitæ  
misericordiæ meæ repellere cogita-  
stis. Præuaricati estis pactum dulcissi-  
mi testamenti mei: & spreto cultu di-  
uinæ Maiestatis meæ, idola mundi ve-  
neramini. Quid est hoc? Quid inuen-  
erunt in me iniquitatis patres vestri,  
quia recesserunt à me? Leges Medo-  
rum, atque Persarum studiosissimè ob-  
seruatis, & Satrapis mundi placere  
contenditis: solus ego contemnor, nec  
inuenio, quibus placeat amplissimus  
honor regni mei. Usquequo lugebit  
terra, & herba omnis regionis ficcabi-  
tur à malitia inhabitantium in ea? V-  
niuersæ creaturæ ad nutum obediunt  
imperio meo: solus homo cucurrit ad-  
uersus me erecto collo, & pingui cer-  
uice armatus est. Quid ultra debui fa-  
cere humano generi, & non feci? Veni-  
te nunc & properate filij Adæ, & &  
vale-

valetis, arguite me. Quod si nemo potest arguere me de peccato, eloquia mea casta ne respuite, sed cordis vestri duritiam gratitudinis liquefactione resoluite. Auferam, si vultis, cor lapideum, daboque cor carneum: & faciam, vt in præceptis meis, more ceruorum, ambuletis. Educam vos de terra deserta, è loco horroris, & vastæ solitudinis. Constituamque super excelsum terram, vt sugatis mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Si, deposita duritie, mitescant corda vestra, repõto foedere, Deus vester ero, daboque in visceribus vestris, legem meam & in cordibus emollitis digito suavissimi spiritus mei, scribam eam.

## CAP. VII.

*Hortatur ad Verbum Dei aure cordis percipiendum.*

**M**OLLITI sunt sermones mei super oleum, & ipsi sunt iacula, vt simul vulnerent atque delectent. Quò circa mirum est, quomodo filij hominum quærant sibi magistros prurientes auribus, & à veritate mea